

Cum opus, cui titulus: *Philosophia Peripatetico-Scholastica*, etc. a P. Michaele De Maria nostrae Societatis Sacerdote, aliqui eiusdem Societatis Theologi, quibus id commissum, recognoverint, et in lucem edi posse probaverint; facultatem damus ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet ita videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Neapoli, 15 April. 1892.

L. S.

CAROLUS GALLUCCI S. J.
Praep. Provinciae Neapolitanae.

IMPRIMATUR

Fr. Raphael Pierotti O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Julius Lentj Patriar. Constantinop. Vicesgerens.

PHILOSOPHIA NATURALIS

PARS PRIMA

DE MUNDO SEU COSMOLOGIA

PROOEMIUM

COSMOLOGIAE DEFINITIO. Si vocabuli significatio spectatur, Cosmologia idem est ac sermo de mundo. « Quem Graeci, ait Plinius, *κόσμος* nomine ornamentum appellavere, cum et nos a perfecta absoluteque elegantia mundum dicimus » (1). Quare Cosmologia secundum rem per nomen significatam definiri solet: *Scientia quae tractat de ente corporali et sensibili seu mobili*. Obiectum ergo materiale istius scientiae est mundus sensibilis: obiectum formale ex adverso habetur a diverso gradu abstractionis sub quo ipsa res corporatas et mobiles considerat, quemadmodum a nobis explicatum est in Logica maiori (2). Iam vero si nomine mundi adspectabilis intelligitur universitas rerum visibilium, quae caelo terraque continentur, sensusque nostros percellunt, tunc Cosmologia ipsam complectitur Anthropologiam seu scientiam de homine, quia homo inter res visibiles et entia mobilia recensetur. Mos autem invaluit, hominis scientiam a ceterarum rerum mundanarum scientia secernere, et Philosophiam naturalem dividere in duas partes, nempe in Cosmologiam et Anthropologiam, seu in scientiam de mundo, et de homine. In hoc contractiori sensu Cosmologia de illis substantiis mobilibus disputat quae nullo modo ad perfectionem substantiae immaterialis pertingunt, ideoque

(1) *Hist. nat. lib. II, cap. IV.*

(2) Cf. quae disseruimus Log. mai. q. 6, a. 2, pag. 306.